



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XXVII. In Festivitate Pentec. Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis. Act. 2. Arg. Mensura spiritus vehementis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



CONCIO XXVII.
IN FESTIVITATE PENTECOSTES.

Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis. Act. 2.

ARGUMENTVM.

MENSURA SPIRITVS VEHEMENTIS.

I. **D**erardum est cœlestibus cum Theologis disceptare, & proposita ab iis ad unguem enodare dilemmata A.

Quantò enim supra omnem terrenæ propaginis facultatem sublimiùs proveci sunt, tantò & perspicaciorè pollent intelligendi acumine, & arcaniora naturæ profundius rimantur, & recondita nonnquam obscuriùs, tanquam nodò Herculeò intricata proponunt.

Argumentò sit quæstio ab Uriele Archinuntio Altissimi zelosissimo legis antiquatæ Notatio Esdræ objecta:

4. Esd. 4. *Mensura, ait, mihi statum venti, pondera mihi pondus ignis, aut revoca mihi diem, qua præterit:*

Quæstio hæc tam intricata, tamque insolubilis Esdræ sapientissimo visa est; ut illicò de ratione illius enodationis desperans exclamârit:

ibid. v. 6. *Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his? Quis tanta ingenii perspicacitate præditus, tantâ rerum experientia insignitus, tantâ scientiarum*

prærogativâ inclitus, ut mysteria hæc exenteret, & elucidet? *Quis natorum poterit facere?* ut vel mensuram adinvenire queat, quâ ventorum dimetiatur vehementiam, aut pondus, quò ignem appendat, aut trochleas, quibus tempus evolutum revocet ac retrahat?

Ego nihilominus solennitatis hodiernæ ordinem perpendendo, idem omnino onus mihi impositum animadverto. Nam cum factus de cœlo sonus spiritus vehementis oratione mihi trutinandus proponitur, quid aliud innuitur, quam ut mensurem statum venti hodierna luce facti, & inauditi? Rursus quum alterâ feriâ Ignis divinæ dilectionis expendendus objicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret mundo:* quid aliud innuitur, quam ut ponderem pondus ignis? Tandem quum tertiâ die agatur de vita abundantiore: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant;* quid insuper evincitur, quam ut vel vitæ limites temporum periodò extendam, vel ut tempus evolutum revocem: *Revoca mihi diem qua præterit.*

Ioan. 3. 16.

Ioan. 10.

10.

Ll

Quid

Quid itaque ago? Tergiverſabor-
ne cum Eſdra, & rei impoſſibilitatem
cauſabor? At feſtivitatis vetat religio.
Præſumam? Ingenii mei vires immen-
ſum ſupereminet? Aliquid tentabo,
& ſiquidem inſimul omnia præſtare
nequeo, præſenti alloquio non niſi
flatum venti exoptatiſſimi ad menſu-
ram revocare adnitar. Aspira cœleſtis
Auſter, qui hæc facta luce Collegium
Apoſtolicum afflauiſti, quatenus ho-
nori tuo dignè velificem, meorumque
Auditorum commodo conſulam.

Narratio ac Partitio.

II. Venti vocabulo in ſacris lite-
ris indigitari ſpiritum Sanctum com-
pertiffimum eſt. De eo enim, Doctore
D. Auguſtino, ac Gregorio, ipſa æ-
terna ſapientia apud S. Joannem ad
Nicodemum loquitur: *Spiritus ubi vult
ſpirat, & neſcis unde veniat, aut quo va-
dat.* Ipſe eſt ventus, quò Protoparens
noſter animatus, inſufflante Domino
in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Ipſe
eſt ventus revocans mortuos ad vi-
tam, qui apud Ezechielem vatem ſu-
pra interfectos advocatur: *A quatuor
ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſupra in-
terfectos, ut revivifcant.* Ipſe eſt ven-
tus nos in cœleſtem patriam reducens,
de quo Pſalter: *Spiritus tuus bonus de-
ducet te in terram rectam.* Ventus dictus
authore Dionyſio Areopagita ob vim
movendi, atque animandi, & celerem
inſuperabilemque deſcentum.

Hic ventus hæc feſtivitate impri-
mis ſeſe longè latèque juxta omnem
dimensionem ſine menſura diſſudit.

§. I.

*Dimenſio venti hodierni ſecundum ſubli-
mitatem ac profunditatem.*

III. **S**ublimitatem ac profunditatem
Sipſius, (quam utramvis craſſi-
tatem uno vocabulo nuncupat Mathe-
ſis) attingiſſe mihi videtur in ipſo con-
textu Hagiographus dicens: *Factus
eſt repente de cœlo ſonus, tanquam ad-
venientis ſpiritus vehementis, & appa-
ruerunt eis diſperſita lingua, tanquam i-
gnis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Num
quid ſublimer cœlo, unde deſcendit?
aut quid profundius terrâ, in quam ſe
demifit? aut quid liquidius ad evincen-
dam ejus excellentiam, quam quod
præſtitit?

Ex veteris legis codicibus erudi-
mur, Dominum ſeſe manifeſtaſſe
Eliæ vati, non in commotione aliqua
vehementi, nec in exæſtuante quo-
piam incendio, nec in perſtrepero tu-
barum claſſico, ſed in ſibilo auræ te-
nuiffimæ. *Post ignem ſibilus aura tenuis
ibi Dominus.* Piè ſanctèque creden-
dum, id non citra myſterium factum
ab eo, qui inſignitè identidem bucci-
nat operibus, quam verbis peroret.
Ipſa enim illius facinora axiomata
ſunt, quibus dum quidpiam tacitus fa-
cit, quid agere, aut quid ſapere debeat
innotefcit. Cum itaque ſupra
vatem in ſibilo, ſupra Apoſtolos in
ſpiritu vehementi deſcenderit, aliquid
certò nobis ad ſalutem indicare inten-
dit. At quidnam illud?

Num forſitan flammeo ſubinde
exure-

*Spiritus S.
in vento
adumbra-
tus.
D. Aug. in
10. D. Greg.
l. 24.
mor. c. 13.
Joan. 3.*

*Ezech. 37.
9.*

*Pſal. 142.
10.*

*Dion. Arg.
de Cœl.
Hier.*

*Spiritus S.
gratia quæ
ampla.*

Act. 2.

*Spiritus S.
cur in ve-
hementia
deſcendit.*

*3. Reg. 19.
11.*

xurendum cataclysmo indicat mundum, quem prius aqueo obruerat? Num impetu magis effuso in Lege gratiæ irarum evomet furores? Num blandius affabatur olim servos, quam in præfenti filiis blandiatur? Ne quæso hoc sonita perculli expalleatis, sed Apostolo vos erigenti intendite: *Non accepistis ait, spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.* Non effudit Dominus spiritum servorum ad timendum, quemadmodum Patres nostros metu pœnarum infrænabat, ne exorbitarent à lege sancta tua; sed spiritum gratiæ suæ, per quem adoptati estis in filios Dei; & in quo filiali, ac fiduciali affectu, præ teneritudine, dulcedineque amoris eum tanquam teneri infantes blandissimâ voce compellatis: *Pater Pater.* Vetus Lex servorum erat, & timoris lupato suos coercerat sectatores; at verò Lex Gratia filiorum est, amoris funiculis irretiens ad obsequendum. Illa compescebat ab opere externo contra legem patrando, hæc animum pellectat ad promptè, devotissimèque obsecundandum. Quid itaque signat sibilus auræ, quid imperus?

An clementiam, ac benignitatem suam luculentius insinuavit servis, quam filiis? At & hic contrarium evincit amantissimus Domini discipulus, dum dicit: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Illa duntaxat erudiebat, ac illuminabat intellectum, ista insuper inflammabat affectum; illa data in tabulis lapideis, ista in tabulis cordis carnali-

bus, scripta non atramentò, sed spiritu 2. Cor. 3. Dei vivi.

Quid igitur mysterii? Non aliud, quam ut hac ipsa adventandi ratione ostenderet, quod operabatur; nimirum multò eminentioris gratiæ, fervoris, charitatis dispensationem. Quemadmodum enim aura vehementior copiosiore indicat exhalationem, haud secùs validior hic impetus spiritus S. copiosiore, indicat ejusdem afflatum, atque influxum.

Experimentum hujus si capere est animus sisto vobis Collegium Apostolicum, quod quam concussum, atque infirmum extiterat ante adventum spiritus S. tam forte subinde ac validum virtute illius indutum ex alto evaserat. Quam timidè, ac perfidè antea inficiabantur Christum Apostoli, tam animosè paulò post eundem confitebantur.

Sisto imprimis ipsam Petram Ecclesiæ, quæ ante unius mulieris voce percussa contremuit, vitamque dum mori timuit ejuravit; exinde verò nec vincula nec carceres expavit, & quam frigidè tulerat puellæ per cunctationem, tam generosè armatus per ipsum totius mundi sustinuit persecutionem.

Sisto vobis Philippum Nerium tantopere exæstuantem charitatis ardore, ut cum cor ipsius intra repagula contineri nequiret, contractis, atque elatis duabus ossiculis mirabiliter Dominus id ampliaverit. Sisto Franciscos Seraphicos, Kostulos, Terecias, quibus vix ipsi Eliæ flagrantissimi coæquari queunt.

IV. Et si etiamnum dubium vobis

Ll 2

est ad

Rom. 8. 15.

1. Ioan. 1.
17.

est ad mensuram ipsam utriusque Testamenti appello.

In illo Isaias vates auditâ in spiritu Seraphicorum Geniorum inter se concertantium, ac modulantium Deo suavitate, nescio quamnam linguæ remoram obtendebat; quod minus iisdem concineret. *Vir pollutus labiis ego sum & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* q. d. O me miserum quomodo sacra, ac divina eloquia ore, ac labiis meis tractare præsumam, quæ inter fecem vulgi commorando sæcularibus ac vanis haud destiti polluere colloquiis. Meum, meum est blaterare, non seraphicis choris concinere; meum est sigalionem satius, quam Psaltem profiteri. *Vir pollutus labiis ego sum.*

Hac ingenuâ confessione commotus Dominus, illico expedit seraphinum emundaturum labia ipsius. *Et volavit unus ad me de seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetegit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur,* id est: Hoc signò, ac contactu labiorum noveris tibi piacula tua esse exusta, & te spiritu prophetico dorum; simulque fiducia, ac magnanimitate armatum, ad populi, procerumque cæcitatem redarguendam, oraculaque divina depromenda. Et hæc mensura erat quâ dispensabantur gratiæ in illa Lege, nimirum forceps adunca, aut digiti compressi.

Quanam verò in Lege Gratiæ exhibita est

In hac se vidisse testatur Angelus Apocalypticus alterum Angelum non jam unum carbonem, sed vas plenum pru-

narum ad inflammanda mortalium præcordia adaptantem: *Et accepit inquit, thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram.* Ut vel inde pateret Angelum N. T. Christum Dominum in Lege gratiæ abundantius charismata spiritus S. profudisse; & hac sacrâ luce thuribula aurea, id est præcordia suorum discipulorum cumulatius replevisse.

Ita distinctè in hunc locum doctissimus Abbas Rupertus philosophatur: *Nunc ignis ille de cælo mittebatur, unde apparuerunt discipulis dispersis lingua, tanquam ignis. Ille inquam ignis mittebatur in terram, quo Angelus ille magni consilii dudum impleverat aureum thuribulum immaculati corporis sui, & nunc assumptus in cælum, agebat, quod dixerat: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.*

Nunc nimirum accendit lampades virginum prudentum, nunc verus Elias demisit duplicem spiritum in discipulos, nimirum illuminationem intellectus, & inflammationem affectus, nunc ignis de altari, absconditus in puteo alto præcordiorum Apostolorum exoriente clarius sole Justitiæ accensus est, tantò illustrius, quantò antehæ latebat in caligine passionis obscurius.

Cujus extemplò rationem diversitatis subnectit in hæc verba, *Voluit autem Dominus ostendere modum diversum communicandi beneficia sua, gratias, & amorem.* Nam usque modo in antiqua Lege limitatè, ac parvè dederat. Hinc carboniculum altari restituit, unde eripuerat; quia hinc, quasi colligebat nobis spiritus S.

V. Concinit, tanquam beata seraphim altera alteri, Abbati huic Abso-

Gratia T. V.
limitata.

Isa. 6. 6.

Ibid. v. 7.

Apoc. 8. 5.

Rupertus in
b. 1.

Abfolon Abbas, qui non veretur cu-
jusdam tenacitatis spiritum S. in lite-
rata Lege arguere, quando ait: *Spiri-
tus S. quodammodo parvus fuit antiquis
temporibus, ne dum avarus; quia tunc no-
bis congregavit, & thesaurizavit divi-
tias, ut tempore gratia illas exponeret; &
fons divinae bonitatis abundantius per
gratiam emanaret; & unctio spiritualium
charismatum cum omni plenitudine in fi-
lios Ecclesiae descenderet.* Quemadmo-
dum enim Pater mercedem servo tri-
buit, hereditatem, ac bona filio re-
servat: ita caelestis Pater per dispensa-
torem, ac Distributorem suarum gra-
tiarum spiritum S. Judaeis tanquam ser-
vis gratias quasdam, quasi munera
contulit, filiis autem, id est Ecclesiae
Christi membris, totum patrimonium
omnesque gratias cumulatissime im-
pertit. Proinde quanta est inter ser-
vum, ac filium differentia, inter um-
bram & corpus discrepantia, tanta iti-
dem est gratiarum priorum tempo-
rum, ac novissimorum diversitas.

Expendat itaque unusquisque intra
semetipsum, quas gratiarum hostias
eidem divino Hospiti, ac Largitori im-
molare pro tantis charismatibus par-
sit? Nam si Hebraei pro accepta Lege
in tabulis lapideis hanc solemnitatem
in hostiis, & holocaustis obibant,
quod soli inter omnes gentes electi,
quibus divina eloquia concredita fo-
rent, quanto arctius obstricti erimus,
qui legem non in tabulis lapideis, sed
digitò spiritus S. in visceribus nostris
inaratam accepimus? Si illi ex dissi-
tis terrarum partibus Jerosolymam
confluebant ex omni natione, quae sub
caelo est, pro hoc beneficio unà gra-

tias relaturi; quid nos facere æquum
est, qui hac eadem die pro lege Evan-
gelium, pro litera spiritum, pro umbra
veritatem, pro ministracione damna-
tionis ministerium justitiæ, pro spiritu
timoris adoptionem filiorum Dei per-
cepimus? Quanto enim præcellit gra-
tia, tanto itidem insigniorem vendicat
gratitudinem.

Et certè de Apostolis legimus, quod
hoc munere ditati loquebantur ma-
gnalia Dei, & quod multò spiritus S.
pleni verbis atque operibus benefi-
cium contestati sunt. Nos itaque si
muti pisces hodie invenimur planum
facimus, vel divinum hunc hospitem
non suscepisse, vel quod pejus est, i-
gnorare quis sit, vel certè tanti benefi-
cii pondus nullatenus penetrare,

§. II.

*Mensura Venti caelestis, quoad
Latitudinem.*

VI. **H**Oc itaq; penitus evisceraturi,
intensioreſque in intimis fibris
gratiffimæ mentis affectus excitaturi
ad Latitudinem hujus venti divinissi-
mi dimetiendam descendamus.

Eam abunde desumere possumus ex
citato Epistolæ textu, quod repleverit
Spiritus S. gratia quam lata.
totam domum, ubi erant sedentes. Eclu-
culentiùs paulò ex oraculo, per Joe-
lem in hæc verba divulgato: *Effundam
de spiritu meo super omnem carnem, &
prophetabunt filii vestri, & filia vestra, &
juvenes vestri visiones videbunt, & senio-
res vestri somnia somniabunt.* Sed &
*super servos meos, & ancillas in diebus illis
effundam spiritum meum, q. d. Alii do-
nabua-*

*Spiritus S.
gratia
quam lata.
Joel. 2. 28.*

nabuntur prophetiâ Spiritu S. super eos effusô, ut filii ac filia dilectissimæ; quæ primæ sunt admissionis, ac meriti. Alii somnia, ut senes jam provectoris ætatis somniabunt; alii visionibus cum juvenibus de maligno triumphantibus illustrabuntur. Servi autem, atque ancillæ, qui etiamnum spiritu timoris aguntur, fidei, ac salutis gratiam possidebunt. Nullus erit, qui particeps donorum meorum (nisi ipsemet pervicax obicem posuerit) factus non fuerit. O desiderabilem abundantiam! ô latitudinem incomprehensam, quâ & servus, & ancilla, & juvenis & senex, omnisque ætas comprehenditur.

Vellus Gedeonis quid signet.

VII. Adumbratam hanc latitudinem arbitratur Illustrissimum Affricæ sidus in vellere Gedeonis prodigiis roris nobilitato.

De hoc restatum facit liber Judicum, quod obnitentente præfato Heroe, acceptare à Domino oblatum sibi regimen, & prodigium quodpiam, in argumentum supernæ electionis, efflagitante, primum quidem ad votum illius in solum vellustos descenderit, terrâ interim circumquaq; arida manente. Tum verò instante rursus eodem, idem ros universam terram irrigaverit, exiccato vellere.

Matth. 15. v. 24.

Ut verò in vellere intelligantur Judæi, favet testimonium Domini dicentis: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël.* Ex quo vellere vestis humanitatis ipsius contexta est. Per terram autem omnes omnino nationes rite intelliguntur; de quibus illud dici potest; *Terra autem (imprimis Gentium) erat inanis ac vacua destituta virore gratiæ, cælestiumq; floribus virtutum.*

Gen. 1. 2.

Quid verò est, quod prius immaduit vellus, & tum primum tellus? An non id, quod prius in Judæos duntaxat; tum verò in omnes gentes Spiritus S. gratia diffusa sit.

Placet ex ore Augustissimi Patris accipere mysterium: *Videmus, ait, jam gratiâ Christi sicam remansisse gentem Iudæorum, totamque terrarum orbem in omnibus gentibus, Christiana gratiæ plenius nubibus complui.* Videmus primò paucis Judæorum, & gentibus naturæ legem cum Iobo custodientibus Spiritus S. gratiam dispensatam esse; postea in omnes nationes charismata, ac influentias ipsius redundasse. Videmus primum stetitisse classem Ecclesiæ in solius Judææ oris, subinde autem flante hoc secundissimò ventò egressam ex portu, totum orbem terrarum enavigasse. Videmus in antecessum solis Hebræis, iisque reluctantis, ac recalci-trantibus gratiam Evangelii oblatam, subinde verò imperante Domino, & illis sese ingratissimis exhibentibus omnibus nationibus sub cælo prædicatam. *Euntes in orbem terrarum prædicate Evangelium omni creatura.* Non solum divitibus, ac summatibus hujus mundi, sed & pauperibus, infimisque; non solum nobilibus, sed & plebeis; non solum liberis, sed & servis ac barbaris. *Prædicate. quia: in diebus illis effundam de spiritu meo, &c.*

Aug. in lib. Iud.

Mar. 16. 13.

VIII. Quoniam autem incapax sumus donorum omnium, quæ in nos effundere meditatur, ad mensuram, ac capacitatem cujusque ea attemperat; *Alii enim (contestante Apostolo Paulò) per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum*

Donorum spiritus S. diversitas.

1. Cor. 12.

sandum eundem spiritum; alii fides in eodem spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hec autem omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. Alii dat gratiam ad salutem, ut toto corde convertantur ad Dominum Deam suum; alii sufficit vires, ne in conflictu adversum Tartareas succumbat legiones; alium solatur, & in spem erigit, quod sit filius Dei; alium incendit, quatenus in conglaciatis ipsius præcordiis flamma charitatis exurgat; alios item alloquitur blandè ut filios; alios instigat, ut fervos; alios suaviter compellat, ut amicos; ita ut concinnè id de ipso, quod de mundi oculo cecinit Psaltes, dici queat: *A summo celo egressus ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat à calore ejus.* Non est scythæ nec Barbarus; non peccator, quantumvis enormis, quem omnino transeat; qui ab illius lumine non illustretur, ab illius flamma non accendatur.

Verùm enim verò quoniam celestis hic Auster permultos desit vehementiùs aspirare; quoniam nonnulli etiamnum frigidi inveniuntur, ferventissimò orationis anhelitu illam attrahere adnitamur. Imitemur dilectam ejusdem divinisissimi Pneumatis, & cum eadem ingeminemus: *Veni auster, persfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Veni aspira, & inspira saluberrima consilia, & dabunt odorem aromata cogitationum piarum, verborum, ac operum. *Veni Auster, & anima organum mutum, ac emortuum præcordiorum nostrorum spiritu tuo, & de-*

cantabit nomen sanctum tuum. Veni Auster, & affla tellurem corporis nostri, & terra nostra dabit fructum suum. O verè fortunatum afflatum illius à quo Beatissima Virgo concepit corpore! O verè optatum à quo omnes fideles concipiunt mente; à quo peccatores ab æstu libidinum suarum refrigerantur, à quo omnes filii Dei vivificantur! *Veni Auster persfla hortum meum &c.*

§. III.

Mensura spiritus vehementis secundum longitudinem.

IX. Superest longitudo hujus divinisissimi Favonii dimetienda.

Et hanc desumere possumus ex eodem Aetuum testimonio, quod nimirum totam domum repleverit, ubi erant sedentes inchoando nimirum ab illa, & consummando in ecclesia Dei vivi in finem. Id enim ipsa æterna veritas apud S. Joannem manifestò stipulata est, cum diceret: *Aliam Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.*

Spiritus S. in Ecclesia æternat.

Joan. 14. 16.

Typum hujus nobis exhibet ignis ille coelitus supra sacrificium Moysis evocatus; & appositis subinde studio sacerdotum fomentis in sacro loco, ad Babylonicam usque captivitatem asservatus.

De hoc præceptum extat in Libro Lev. 6. 13. *Ignis iste est perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.* Quum autem in servitute præfatam abducendi, in puteo alto, & sicco ignem hunc conturati essent, prodigiosè rursus ex aqua

qua

Psal. 137.

6. 15.

Cant. 4. 16.

6. 15.

6. 15.

6. 15.

qua crassa, supra holocaustum effusa resuscitatus est. Hic, ut dixi, ignis appositè figuram nobis exhibet flammæ, hac festivitate desuper in Apostolos effusæ. Quemadmodum enim olim nullum sacrificium Deo gratum erat, nisi hoc igne sempiternò incendere- tur, ac exureretur; ita nullum laudis, justitiæ, ac pietatis sacrificium acceptum est illi, nisi ab hac divinissimi Hospitis flamma virtutem traxerit, & ardorem. Nisi enim ardeant, ferveant, inflam- mentur opera nostra igne divini illius amoris, supremæ Majestati neutiquam placere queunt. Et sicut ignis ille, quamdiu lex viguit servatus est; haud secus entheus iste, quamdiu lex ista du- rabit (duratura autem in æternum) nobiscum permansurus est, inque pio- rum præcordiis habitaturus.

Extinctus est tandem cum lege i- gnis ille perennis in Synagoga, & unà spiritus S. in illo figuratus eandem de- fert. Quippe, (ut alios nostrates ta- ceam, Judæo Josephò perhibente) i- pla die Pentecostes noctu, sacerdoti- bus templum ingressis ad munia sua obeunda, primò quidem motum quempiam, strepitumque senserunt, postea verò voces sese mutuo exhor- tantium perceperunt; *Migremus hinc. Migremus hinc.* Quibus vocibus citra dubium indicatum est, Tutelares An- gelos loci ipsius, ac spiritum S. (quem è templo illo in columbæ specie B. Ephrem tradit evolasse) ab illo populo recessisse.

At verò in Ecclesia Orthodoxa, ut est fundamentum, ac columna verita- tis; ita spiritum veritatis retinet in æter-

num: *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Ioan 14.16.

X. Veterum Poëtarum commen- tum erat, veritatem terris pulsam in cælos evolasse, nec ultra in his commorari regionibus. At ut id a- liquam speciem veritatis habeat; ut ex omnibus aulis, urbibus, regionibus proscripta sit, manet, æternabitque in Ecclesia Orthodoxa, contra quam nec mendacium, nec portæ inferi unquam prævalebunt. *Alium Paraclitum dabit vobis.* Ab uno aliove membro abesse potest, unum alterumve cæcum dese- rere potest, at verò à tota Ecclesia, à sede Petri abesse non potest. *Alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobi- scum,* non ad tempus certum, non ad Olympiadem unam, aut sæculum u- num, vel aliud, sed in perpetuum.

O diem itaque verè in se, ac nobis felicissimum! ô diem perpetuæ con- solationis! Quæ enim major gratia po- test descendere in terras, quam fons vivus gratiarum? Quod vivacius ani- mæ refrigerium dari, quam ubi tam sublimi, tam prolixò, vastòque afflatu aspirat aër divinus? Quæ faustior se- cundiorve navigatio quam ubi tam validò impetu, divinus hic impellit Auster?

XI. In qua id unum vereor, ne multi inveniuntur, qui illius divina be- neficia, in veneficia convertant; ne ipsius adjutoriò, ac gratiâ ad perditio- nis suæ materiam abutantur; ne ma- jore intensione spiritum extinguere, quam accendere fatagant. Quod cer- te non tam spei, ac gaudii, quam timo- ris, ac condemnationis prope infalli- bile est

*Spiritus S.
Synagogam
deseruit.*

*Joseph l. 7.
c. 12. de
bello Iud.*

bile est argumentum. Nemo enim est, quem lateat, beneficia maxima, quanto majorem exigunt gratitudinē, tanto neglecta severius inducere supplicium.

Ingratitudo
pmdisw.

Exemplō nobis esse poterunt Judæi, in quos nunquam severius Nemesis divina animadvertit, quam cum cœlestis Pronæa amplioribus beneficiis eos prævenit. Quippe immolantibus in Ægypto idolis connivebat; de quibus tamen secundum præstita beneficia in deserto, iterato scelere, gravissimas pœnas sumebat. Murmurantibus in servitute compatiebatur, obtrectantes in deserto, serpentibus ignitis, & quadraginta annorum exilio multavit. Sicque divinorum beneficiorum cumulus, qui illis salutem, vitamque parere debuerat, vitiō eorum pestem attulit, atque exitium. Congrua ratione; cum majora nobis, uti ostensum est, collata præ illis sint charismata, quam non tam corporalea, quam spiritualia beneficia majore numero perceperimus; nec ab Ægypto, sed à gehenna liberati simus; nec in tabulis lapideis legem, sed in visceribus scriptam sumplerimus; an non ingratos, obduratosque vehementius percelli par est? An non amplior superest in extremo judicio reddendæ rationis

materia? An non severius illos manenthera, quod exorta luce diligant intensius tenebras, quam lucem; vanitatem, quam veritatem; servitutem quam libertatem; mortem quam vitam.

Id sanè est quod prænuntiasse creditur Dominus apud Joëlem vatem. Cum enim prædixisset per eundem adventum sanctissimi spiritus, quem effulurus erat super omnem carnem, protinus adjecit mentionem extremi judicii contra ingratos, dicens: *Et dabo prodigia in celo sursum, & signa in terra deorsum. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam venerit dies Domini magnus, & manifestus. Ut nimirum scirent mortales, quò magnificentior gratia, gravioribusque parta laboribus illis obvenit, eò acerbius certiusque instare judicium, ac supplicium. Proinde ut summis lætitiæ gaudiis meritò incedunt, qui divinæ gratiæ, ac beneficentiæ ipsius respondere adnituntur; ita timere eos sibi par est, qui iisdem nequitia suâ abutuntur; aut ne timeant, accurate; ut tantis beneficiis minimùm ingrati existant. Quod nobis elargiatur, qui in unitate ejusdem spiritus S. vivit, & regnat Deus, in sæcula sæculorum.*

Joel. 2. 30.

Amen.



Mm

CON